

11

dem vivendi statuere finem; quem haberet laborandi:
nunc superstitem esse benemerendi voluntatem, sed cum vi-
ribus abiisse facultatem, ac adeo sua fieri verba Licinii apud
Livium: JAM NON EUNDEM, SED UMBRAM NOMENQ; LI-
CINII VIDETIS, VIRES CORPORIS AFFECTÆ, SENSUS OCULO-
RUM ATQ; AURIUM HEBETES, MEMORIA LABAT, VIGOR ANI-
MI OBTUSUS. His enim querelis ne indulgeat diutius, nec
opinetur hunc discessum rebus suis fore minus gloriosum
vel utilem, antequam id à me præstetur, cuius gratiâ in ve-
strum Conspectum prodii, pauca vobis audientibus differe-
re constitui De

FELICITATE EMERITORUM

tum ut ipse PARENTS EMERITUS lætiores Conscientiæ stimu-
los experiatur, tum ut singuli Weisianis laboribus faventes
vel è sermone meo paratiorem gratulandi materiam propi-
nari gratulentur. Quod dum facio, qua par est observan-
tia & pietate contendō, velitis in raro & plane extraordi-
nario hoc argumento, singularem quoq; silendi & auscul-
tandi promptitudinem testari, futuroq; nostro Emerito, vel
ex hac attentione, memorem ac constantem benevolentia-
m demonstrare.

Atq; ut EMERITORUM hanc FELICITATEM
contueamur aliquanto propius, ea verò satis videretur su-
pra communem fortunam collocata, si nihil diceremus
aliud, quām rarae hujus gloriæ possessionem à paucissimis
impetrari, adeoq;, vel è publicâ admiratione, quā semper
cariora iudicat, quæ sunt rariora, magnum pretio acce-

A 2

dere